

The following was copied at the White Trash Scriptorium  
from *Sacred Latin Poetry*, ed. Richard C. Trench [London, 1864]

Jacob Balde

CHOREA MORTUALIS SIVE  
LESSUS

DE SORTIS ET MORTIS IN HUMANAS RES IMPERIO:

Argumentum

Inter funebres taedas, ad modulatos Umbrarum  
passus decantandum.

Eheu, quid homines sumus?  
Vanescimus, sicuti fumus;  
Vana, vana terrigenûm sors,  
Cuncta dissipat improba mors.

Exstincta est Leopoldina,  
Frustra clamatâ Lucinâ;  
Lacrimosa puerperae mors!  
Miseranda mulierum sors!

Cum falcibus ageret aestas,  
Est et haec succisa majestas:  
Ah, aristae purpureae sors!  
Sicne dira te messuit mors?

Quo more vulgaris urtica,  
Jacet haec quoque regia spica;  
Suo condidit horreo mors,  
Brevi posuit angulo sors.

Ut bulla defluxit aquosa,  
Subsedit, ut vespere rosa;  
Brevis omnis est flosculi sors,  
Rapit ungue celerrima mors.

Quam manibus osseis tangit,  
Crystallinam phialam frangit;  
O inepta et rustica mors!  
O caduca juvenculae sors!

Ubi nunc decor ille genarum,  
Ubi formae miraculum rarum?  
Bina lumina subruit mors,  
Caeca tenebras intulit sors.

Ubi corporis bella figura!  
Ubi lactis ostrique mixtura!  
Lac effudit in caespitem sors,  
Texit ostrum sandapila mors.

Ubi rubra coralla sunt oris!  
Ubi retia, crines amoris!  
Parcae rapuit forficem sors,  
Scidit istâ caesariem mors.

Ubi cervix et manus eburna!  
Heu funebri jacent in urnâ!  
Atra nives imminuit sors,  
Colla pressit tam candida mors.

Quae pulchrior fuit Aurorâ,  
Hanc, Caesaris aula, deplora;  
Vana species, lubrica sors,  
Taetra facies, pallida mors.

Quae vides has cunque choreas,  
Augebis et ipsa mox eas;  
Subitam movet aleam sors,  
Certa rotat hastilia mors.

Huc prompta volensque ducetur,  
Capillis invita trahetur;  
Ducet inevitabilis sors,  
Trahet inexorabilis mors.

Quod es, fuimus: sumus, quod eris;  
Praecessimus, tuque sequeris;  
Volat ante levissima sors,  
Premit arcu vestigia mors.

Nihil interest pauper an dives,  
Non amplius utique vives;  
Simul impulit clepsydrum sors,  
Vitae stamina lacerat mors.

Habere nil iuvat argentum,  
Nil regna praetendere centum;  
Sceptra sarculis abigit sors,  
Ridet albis haec dentibus mors.

Nihil interest, turpis an pulchra,  
Exspectant utramque sepulchra;  
Legit lappas et lilia sors,  
Violasque cum carduis mors.

Nihil interest, vilis an culta,  
Trilustris, an major adultâ;  
Vere namque novissimo sors,  
Populatur et hieme mors.

Linquenda est aula cum casâ,  
Colligite singuli vasa;  
Jubet ire promiscua sors,  
Ire cogit indomita mors.

Ex mille non remanet unus,  
Mox omnes habebitis funus;  
Ite, ite, quo convocat sors,  
Imus, imus, hoc imperat mors.

Ergo vale, o Leopoldina,  
Nunc umbra, sed olim regina;  
Vale, tibi nil nocuit sors,  
Vale, vale, nam profuit mors.

Bella super et Suecica castra,  
Nubesque levaris, et astra;  
Penetrare quo nequeat sors,  
Multo minus attonita mors.

Inde mundi despiciens molem,  
Lunam pede calcas et solem;  
Dulce sonat ex aethere vox,  
Hiems transiit, occidit nox.

Surge, veni; quid, sponsa, moraris?  
Veni, digna caelestibus aris;  
Imber abiit, maestaque crux,  
Lucet, io, perpetua Lux.